



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 4. Quænam ignorantia minuit, vel auget peccatum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

si omittat sacrum præceptum, peccat contra religionem &c.

Q. 4. *Quenam ignorantia minuit, vel auget peccatum?*

Resp. I. Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. *Est commun.* Prob. I ex Luc. 12. *ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hoc est, minus punietur. & Luc. 23. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* 2. Quia talis ignorantia minuit voluntarium, nam impedit, ne mens peccatum in se apprehendat, & illud in se voluntas velit: & sic facit, ut peccans minus afficiatur ad malum.

Quando tamen negligentia discendi gravis est, ignorantia nunquam eo usque minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale, quia non tollit sufficiens voluntarium ad mortale. Enim verò Judæi, qui ex ignorantia Christum Crucifixerunt, & Apostolos persecuti sunt; profectò peccarunt mortaliter. Hinc S. August. l. de Grat. & Liber. Arbit. c. 3. Ait: *sed & illa ignorantia, qua non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno*

Q 4 igne

*igne non ardeat ... sed fortassis ut mitius ardeat.*

*Resp. II.* Ignorantia affectata auget malitiam peccati. *Ita commun. cum S. Thom. I. 2. q. 76. a. 4.* nam illud auget malitiam peccati, quod reddit illud magis voluntarium. At ignorantia affectata hoc praestat: quia per illam directè, & expressè volitum est periculum peccandi nempe ipsa ignorantia, ex affectu liberiùs peccandi. Imò expressè volitum est quodvis peccatum ex ignorantia sequi natum: nam per illam homo vult ignorare, ut liberiùs peccet. Et aliunde peccatum sufficienter cognitum est saltem confusè nempe in ejus periculo directè volito. Hinc homo ob talem ignorantiam ut peccatum aggravantem arguitur Psal. 35. *noluit intelligere, ut bene ageret.* Præterea talis ignorantia in ordine ad imputabilitatem in æstimatione prudenti æquivalet certæ scientiæ.

*Q. 5. An ignorantia invincibilis cujusvis legis etiam naturalis excusat à peccato formali, seu imputabili?*

*Resp. Aff.* Constat 1. ex S. August. l. 3. de Liber. Arbit. c. 19. *Nontibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis querere, quod ignoras.* Hinc paulò